

www.e-rara.ch

**Theophylacti Bvlgarorum Archiepiscopi, In quatuor Evangelistas, in D.
Pauli Epistolas, in minores aliquot Prophetas, doctiss. Enarrationes**

Montanus, Philippus

Basileæ, Anno Christi M. D. LXX.

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149539>

[In Epistolam Ad Titum Enarratio]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI
in diui Pauli ad Titum epistolam Enarratio.

ARGVMENTVM.

INter omnes qui cum Paulo versati sunt, probatissimus cum esset Titus, Episcopus propterea Crete magna illius insula electus est, totq; episcoporum cum iudicium tum ordinatio ei demandata est. Porro quae desint, replere ipse, ceu omnino probatus, per hanc iubetur epistolam, quam scripsit ei Paulus priusquam vincetus teneretur, cumq; adhuc extra metum cōsisteret. Nusquam enim tentationū hic meminit, unde hac mihi videtur prior esse ea quam ad Timotheum dedit. nam illam scripsit cum proximè finem esset. Frequenter autem hic gratia meminit, qua seruati sumus, sufficientem isthanc consolationē esse sciens. Qui enim apud sese reputat quisnā olim fuerit, quantis sit postea beneficijs donatus ex dono & gratia, dabit operam omnino, ne ad iracundiam prouocet benefactorem. Inuehitur autem aduersus Iudaeos. Quòd si verò vniuersum genus vt cōtumelia dignum detestetur, ne mireris. Non enim vt procax & contumeliosus, ceterum vt amans Dei & zelator hoc facit, perinde ac Christus innumeris modis increpabat scribas, non sui nomine, sed quia alios perdebant. Breuem autem conscribit epistolam, vt vel hinc Titi virtutem discamus, quòd huiusmodi vir non habeat opus multis verbis, sed veluti admonitione quadam.

Matth. 15.
& 23.

CAPVT I.



PAVLVS seruus Dei, Apostolus autē Iesu Christi.] Indiscriminatim hæc ponit, aliàs quidem seruam Christi, Apostolum autem Dei, nunc uice uersa. nullam enim nouit differentiam inter patrem & filium.

B SECVDVM fidem electorum Dei, & agnitionem ueritatis quæ est secundum pietatē.] Multipliciter hoc intelliges, uel quòd Apostolus sum, ut electi per me credant: uel quòd sim factus Apostolus, nō ob mea merita, uerum quòd placuerit ita Deo, ut crederet mihi electos suos. Quocirca totū est gratiæ eius qui concredidit mihi hoc munus, & nō quòd dignus sim, sed propter electos accepi dignitatem auctoritatēq; hanc. Deinde ut ostendat quòd & nos aliquid conferre oporteat, intulit, & agnitionem ueritatis, hoc est, eo quòd agnoui ueritatē cōditoris, ac dogmatis huius, per hoc mihi cōcreditū est hoc munus. In mō uerò ne agnitio quidē nostra est, sed eiusdem ipse etiā autor est, prius enim agnit, sic agnos scimus. Vel quia credidi, perinde ac reliqui electi, agnouiq; ueritatem. Ad discrimen porro Iudaicarum ceremoniarum, dixit ueritatem. illæ nanq; non sunt ueritas, neq; tamen mendaciū, uerum typus & umbra sunt. Et quia nos electos dicit, istos sanè tollit. etsi enim olim illi fuerūt electi, iam tamen non sunt. Obserua autem primo loco fidem occurrere, deinde ab hac cognitionē emergere, non à rationibus. Porro cum dixisset ueritatem, quæ est secundum pietatem, adiecit, eo quòd in mundanis etiam rebus uera sit cōgnitio. Exempli gratia: Nouit aliquis uerè, rationem colendi agri, uel extruendi ædes: de illa igitur ueritate ei hic nō est sermo, uerum de ea quæ est secundum pietatem.

Cognitio d fide
est, non à ratio-
nibus.

IN spem uitæ æternæ.] Denumeratis beneficijs quibus in præsentī seculo nos exornauit Deus, recenset simul iam quæ in futuro bona daturus sit. Siquidem ipsa ueritatis cognitio magnæ nobis beneficentiæ loco est, qui liberati sumus ab errore. is uerò pro hac ipsa compensationem nobis largitur, uitam æternā. Quia enim agnouimus ipsum, uitam pariter sempiternā speramus. Animaduertis quē ex ipso statim exordio beneficia Dei recenseat, ut & ipsum episcopum atq; potius discipulos eius alacriores prouocet; reddat, quò placeant benefactori. Porro cum ait in spem uitæ æternæ, Iudaicos ritus discutit & quassat. nam illi præsentis uitæ bona pro mercede habebant.

QUAM promisit qui non mentitur Deus, ante tempora secularia.] Si uerax est, si nō mentitur, omnino dabit quæ promisit, etiā post mortē. Ab æterno autē hæc ita decreuit, nec eum huius decreti pœnitebit. Neq; quia Iudæi Christo nō accesserūt, propterea nobis tanta bona dedit, uerum à supernis & æterno sic destinātū erat, ac antequā mundus & tēpora conderentur, dilexit nos. Est autem ingenuitatis nostræ demonstratio, quòd à principio nos dilexerit.

MANIFESTAUIT autē temporibus suis uerbum suum in prædicatione.] Ne quis dicat, Cur distulit impertiri quæ ante secula præfinituerat ac destinarat? dispensationis causa, inquit, & ut opportunè istuc faceret. Tempus enim, opportunitatē etiam scriptura uocat, ut illo in loco, Tempus faciendi Dño. Suis itaq; tēporibus, id est, cōuenientibus, opportunis, ac debitis. Quid autē manifestauit? Verbum (inquit) suum, id est Euangelium. Quòd in prædicatione, hoc est, manifestè, cum libertate ac fiducia. Qui prædicat siue præconē agit, neq; adijcit quicquā, neq; adimit: sic & nos quæ nobis iniuncta sunt, prædicamus tantū quidē corā omnibus, palam, sicut & Christus dixit, Prædicate super tecta, per locum & modum, dogmatis libertatem commendans. Obserua autem, quòd rerum consecutio sic requirebat dicere, Manifestauit autē

Tempus oportunitas.

Matth. 10.

temporibus suis ipsam, hoc est æternam uitam: uerum is sic non intulit, sed manifestauit uerbum suum. Et non immerito. nam Euangelium omnia complectitur, etiam ea quæ in præsentibus nobis tempore data sunt, ut pietatem, fidem ueritatis: & quæ in futuro nobis euenient, seu uitam æternam. Quidam autem per uerbum ipsum filium intellexerunt.

Præcepta quædam sunt, quædam consilia.
QVÆ credita est mihi, secundum præceptum saluatoris nostri Dei.] Quæ prædicatio, inquit, mihi cōcredita est. Si igitur mihi cōcredita est, haud cōuenit indigna me sapere uel cogitare eo qui tanta mihi cōcredidit, neque dissimulare, neque iniquo esse animo erga id quod mihi creditum est. Quinetiam secundum præceptum, istud mihi est iniunctum, pro eo quod est, Vel inuitus ista cogor facere. Res enim quæ transiguntur, nonnullæ ex mandato fiunt, nonnullæ per adhortationem: quemadmodum, Reconciliare fratri tuo: mandatū est, & qui non facit isthuc, punitur. Quod uero ait, Vende omnes tuas facultates: & Qui potest capere, capiat: adhortatio est: & qui non facit, non punitur. Mihi igitur, inquit, credita est prædicatio uerbi per mandatū, itaque me isthuc perse qui necessariū est. Væ enim mihi, inquit, si non euangelizem. Neque est ambitionis hoc, neque cupiditatis regnandi, sed necessitatis. Cuius uero mandatū est: seruatoris Dei. Proinde cum Deus seruare nos uolens, hæc iniunxerit, quomodo non inferuiam ei ad salutiferum isthuc opus?

† γυναιξ, id est, germano, legitimo, uero, genuino: ut opponatur notho & degeneri.

TITO genuino filio.] Potest etiam aliquis esse filius, sed non genuinus, quemadmodum Christianus si fornicetur, aut auarus sit, filius quidem est, quatenus ex baptisate renatus est: non genuinus autem, postquam indigna patre committat.

SECUNDVM communem fidem.] Cum Titum filium nominasset, ipse patris adsumpto officio, hunc honorem rursus imminuit. Nulla inquit in re te excello, tunc maior sum, quod ad fidem attinet: communis enim est, & per ipsam natus sum & ego & tu. Quomodo igitur filium ipsum uocat? Vel ideo, ut ostendat paternum erga ipsum affectum: uel quia ipse ipsum baptisate tinxerit. Quatenus enim eadem utriusque fides, fratres sunt inter sese: quatenus uero Paulus Titum baptizari, pater. Quod igitur ait, iuxta communem fidem, fraternitatem indicat.

GRATIA, misericordia, pax, à Deo patre, & Domino Iesu Christo, seruatore nostro.] Ex hoc etiam fraternitatem declarat, cum ait, A Deo patre, excitatque Titum, ut recordetur cuius sit filius, nempe Dei. Animaduerte autem hic, quomodo quæ uulgaribus & rudibus exoptet, eadem quoque imprecetur episcopo ac doctore. Magis enim ipse gratia Dei indiget, ut qui multa onera baiulet: & misericordia, ut qui multis sit obnoxius: & pace, ut qui innumeris turbis, bellis, ac tumultibus impetatur. Nam unum opus strenue peractum episcopum ad cælum euehit, & unum peccatum eundem ad inferos deducit.

HUIUS rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt, corrigas.] Perinde ac in domo alius aliud quiddam agit ex ijs qui ministerijs præfati sunt: hunc ad modum & isti aliam alius orbis partem distributam habebant, omnesque operabantur. Hoc igitur & hic tacite indicat, cum dicit: Reliqui te in Creta, tanquam uidelicet illo ibi relicto, aliud prædicandi gratia concessisset. Animaduerte autem quomodo non erubescat neque uereatur scribere discipulo, ut corrigat à se prætermissa. Ad publicum enim commodum spectabat, non ad priuatum honorem. Obserua porro quomodo quæ labores habebant & certamina, ipse per sese corrigebat: quæ autem uel honorem uel laudem adferebant, hæc discipulo committit, episcoporum nimirum electiones siue ordinationes, & alia quæcunque maiori perfectione indigebant.

ET constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.] Episcopos hic presbyteros etiam uocat, ut & in epistola ad Timotheum. Per ciuitates autem inquit. Noluisset enim uniuersam insulam uni commissam esse, sed quodlibet oppidum proprium habere pastorem. Sic enim & labor leuior est, & cura exactior.

† ἀβέλγητος, inculpabilis, quæ nemo accusare aut criminari possit.

SI quis sine crimine est.] Si ab accusatione liberam uitam ducit, si nemo eius mores sugillauit. Si enim lumen, inquit, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?

VNIUS uxoris uir.] Ut hæreticorum ora compescat, qui nuptias criminabantur, recipit ad episcopatum matrimonio iunctum. Adeo enim preciosa res est matrimonium, ut possit cum eo ad sanctum thronum, episcopalemque sedem ascendere. Ut autem petulantes ac lasciuos cohibeat, unius, inquit, uxoris uir. Qui enim nullam seruauit beneuolentiam erga eam quæ obijt, quomodo ecclesie bene præerit? Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse. Digamus autem non est inculpatus, etsi hoc mundanis legibus placeat.

FILIOS habens fideles, non in accusatione luxus, aut non subditos.] Nam qui proprios liberos non instituit, quomodo alios formabit? Planum enim est, si primum bene ac sedulo educasset erudissetque: pueros, non euassent inobedientes. Non enim natura sunt peccata, ut tantam curam & diligentiam exuperent. Non dixit autem simpliciter, Intemperantes: sed ut ne omnino quidem aliquam luxus ac intemperantiæ accusationem habeant, neque prauæ suspicioni sint obnoxij.

OPORTET enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorum.] Quo autem fuerit sine crimine, siue irreprehensibilis? Si fideles probeque institutos habeat liberos, Deus ipsum propriæ domui præfecit, locum Dei obtinet. oportet igitur ipsum undique esse exactum & inculpatum.

† ὑβριστής, id est, proteruum, præfractum, durum, pertinacem, arrogan-

NON superbum.] Mundi huius principes etiam in inuitos dominantur, propterea arrogantia & suo arbitrato aut beneplacito utuntur. Episcopus autem qui uoluntarijs præsidet, non debet arrogans esse, ut suo consilio & uoluntate citra subditorum sententiam omnia agat. nam tyrannicum hoc.

NON iracundum.] Arrogantiam necessario iracundia comitatur, à qua etiam ipsa confen-

taneum

A taneum est consequens ut episcopus abstineat. Quomodo enim alios instituet ut sibi ab affectu hoc prauo temperent, qui se ipse non erudit?

NON uinolentum.] Hoc est, non iniurium. Quid enim iniuria & contumelia opus est: terrore oportet inobedientes gehennæ comminatione, non iniuria afficere.

NON percussorē.] Neq; manibus ferientē, neq; amarulentis uerbis & exasperatis importunē. Medici enim officio fungitur. Porro medicus curat ictus & uulnera, nō ipse etiā uulnerat.

NON turpis lucri cupidum.] Hoc est, magnum pecuniarum contemptum ostendentem. Omnis enim quæstus etiamsi iustus fuerit, turpis est episcopo.

HOSPITALEM.] Non solum quæstum non inquirentem ab alijs, sed sua etiam peregrinis & hospitibus impertientem.

AMANTEM boni.] Modestum sic dicit, & mitem, & moderatum, minimè inuidum.

SOBRIVM.] Hoc est, purū, iustū in hominū cōmercio uidelicet, citra personarū delectū.

TIVSTVM, sanctum.] Hoc est, pium & colentem Dei, nihil in diuinis rebus ad Deum pertinentibus omittentem.

CONTINENTEM.] Nō solum in cibis, uerum etiam lingua, manu, oculis impudicis imperiū exerentē: in talibus enim regendis & coercendis, uera est cōiunctia, siue temperantia.

AMPLECTENTEM eum, qui est secundū doctrinā, fidelem sermonē.] Hoc est, curantē, opus hoc habentē, in hoc incumbentē. Fidelem autem dicit, hoc est uerum, uel per fidem traditum, & non à rationibus humanis uel ratiocinationibus. Eam ob rem dixit eum qui est secundum doctrinam, indicans quod citra externam sapientiam uerbum Dei docere possit. Non enim opus est factu uerborum, sed scripturarum peritia, sententiarumq; grauitate ac potentia. ex his enim uerbi doctrina melius & fœlicius procedit, quemadmodum & ipsius Pauli.

UT potens sit & adhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.] Hoc est, ut suos & domesticos fidei custodiat & fulciat, hostes uerò arceat. Nam qui neq; cum hostibus dimicare, neq; captiuum ducere omnem intellectum ad obedientiam Christi neq; suos consolari & adhortari & confirmare potest, pseudepiscopus est. Alias enim uirtutes in alijs sub episcopo cōstitutis inueniat aliquis, nimirū hospitalē esse & sobriū, idq; genus alia: quod maximè uerò episcopū ueluti characteribus quibusdā & signis exprimat, docendi munus est, & facultas.

SUNT enim pleriq; inobedientes, uaniloqui, & seductores.] Radicem omnium malorum aliorum, inobedienciā dixit. Qui enim inobediens non uult subesse, sed impetum facit, ut alijs imperet, meritò nihil sani recti ue didicisse comperietur: non enim sustinuit doceri. Matæolus autem, siue uaniloquus est, & mentium deceptor, cum se tum alios decipiens.

MAXIME uerò qui sunt ex circuncisione.] His & Dominus regnandi cupiditatem exprobrabat, quia post fidem etiam morbum istum non deposuerunt.

QVOS oportet redarguere.] Hoc est, uehementer obiurgare, ut ora ipsi occludas. Ecquid lucri si inobedientes sint? Ipsi quidē nihil, at alijs corrupendis alioqui, si taceat episcopus, quorum corruptionis ipse rationem dabit. Eam ob rem horum ora sunt obturanda: quod si non possis, ne sis episcopus.

QVI uniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.] Obseruas inobedienciæ auaritiā turpemq; quæstum adiunctum esse? quomodo domos peruertunt? Vectes sunt diaboli, quibus demolitur domos Dei.

DIXIT quidā ex illis, proprius ipsorū propheta: Cretenses semper mendaces, male bestię, uentres pigri. Testimoniū hoc uerum est.] Quæritur hīc, cūnam ex Græcis testimoniū protulerit, cōmendaueritq; isthuc, præsertim cum nō rectè habeat? Quis item est qui hæc dixit? Qui igitur hæc dixit, Epimenides est, sapientissimus etiā apud Græcos iudicatus, diuinationibus numinumq; placationibus incumbens, uaticinandiq; munere clarus. Hic sanè cū animaduerteteret, Cretenses Ioui sepulchrū extruxisse, atq; colere eum tanquā mortaliū quempia, ceu immolatione accensus pro Deo suo patrio, hæc in Iouis gratiā carmina condidit: Cretenses qui tales ac tales sunt, hi extruxerunt tibi monumentū: atqui tu non es mortuus, tu enim semper es. Hoc igitur oraculum diuus Paulus uerū esse testatur. Qui ergo hoc facit? nam si uerū dictū est, Iupiter igitur immortalis est. Atqui nō huc respiciens Paulus, uerū esse dixit testimoniū, uerū quia & in alijs Cretenses mendaces appellauit. Ecquæ Græci testimonij est cōmoditas? maximè hoc ruborem eis iniecit, iniuriæ eorū ex domestico teste ac uate testimoniū ipsis proferens. Consueuit aut hoc agere Paulus, quemadmodū & Atheniensibus ex Arato disse- ruit. Quæ ille uani nominis Deo Ioui attribuit, hæc ipse ad uerū Deum refert, quando quidē & acrius suis ipsorū testimonijs obstruuntur, quemadmodū & cum Iudæis perpetuò ex prophetis disputat, nō ex Euangelijs. Idem & Deus facit, quosuis à consuetis sibi & creditis attrahes: ut magos per stellā, Saulem per fœminā pytheum spiritū in se habentē, quia huic fœminæ ille fidē adhibebat: & uates à bubus trahentibus arcā, non quod uerū loqueretur uates, sed ut suo eos ore arguat. Hunc ad modū Balaamū permittit benedicere & prophetare. Consueuit enim semper ad nostrā utilitatē condescendere. Quī Christus igitur, & hic ipse Paulus prohibebant dæmones loqui, ac testimoniū sibi dicere? Quia signa satis erant ad persuadendū, & ipse se ipsum Christus prædicabat, idq; satis erat. Dæmones aut non adorabant Christū, illi loquebantur, non idolum uel imago quæ colebatur à gentibus, propterea arcentur ne loquantur.

Quæstus omnis turpis episcopo.

† 1. Cor. 10.

† 1. Cor. 10.

† 1. Cor. 10. re primere, suffrenare, os obturare.

Act. 17.

Matth. 2.

1. Reg. 18.

1. Reg. 6.

Nu. 23. & 24.

Luc. 4.

Act. 16.

QVAM ob causam increpa eos durè.] Quia mendaces sunt, quod est fraudulentia, & impudentes & gastrimargi, opus habet acri & penetrante sermone: nam mansuetudo apud eos nihil promouet. Quemadmodum enim qui mitem & moderatum acrius feriat, perdit eum: sic qui impudenti adulatur, eum corrumpit, ne seipsum agnoscat. Hic autem non alienos, sed proprios adeoq; domesticos oportere adserit arguere.

Scripturæ ueteris libri.

V T sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis.] Sanitas igitur est, nihil illegitimum, nihil adulterinum, neq; alienum fidei introducere: ut seipsum subijcere legi, non est confidentis fidei quod ea sufficiat ad saluandum. Hac ergo ratione Iudaismum spirare, non est exigua ægritudo, quoniam res est importuna, ac præter tempus incedens, ac deinceps inutilis, & quia noxiū est his attendere. Quomodo igitur fabulis non est aduertendus animus, sic neq; Iudaicis ritibus ac legibus. Sacri autem scripturæ ueteris libri rectè intellecti, haudquaquam sunt fabulæ, qua enim ratione fabulæ essent, cum ueritatem Euangelicam inde doceamur? Præuæ autem interpretationes, & traditiones Iudæorum, illæ sunt fabulæ. Audi igitur & quæ sequuntur.

Esaiæ 29.
Matth. 15.

B T mandatis hominum auersantium ueritatem.] Videntur quas uocet fabulas? mandata mirum hominum, ut & in Esaiæ & Euangelio scriptum est: alia etiam, ut obseruationes ciborum, ut ex sequentibus planum fit.

OMNIA quidem munda mundis, coinquinatis autè & infidelibus nihil mundū, sed coinquinatæ sunt illorum mens & conscientia.] Itaq; non sua natura pura sunt aut impura, sed ex uoluntate assumentium. Nam cum illi mente puri sint & religiosi, per fidem nouerunt omnia esse munda, ut Dei creaturas, solum aut peccatum esse impurum. Nam etsi lex immunda quædam haberet, non simpliciter hoc agebat, uerum ut delicias & uoluptates eorum cohiberet, ut quæ sciret Iudæos ceu gastrimargos ac gulæ deditos haud obedituros. Quod si impuri & inobedientes uescētes fuerint, his certè omnia sunt immunda. quoniam & pisces, & quæ uidentur puræ aues, si humana carne uescantur, sæpe si simū edant, immunda certè: sic illas expendēti immundè uideri queat. Proinde sordida mēs pperā de his cogitās & iudicās, sibi hæc coinquinat, quæ tamē natura haud sunt eiusmodi: perinde ac qui stomacho laborat, iudicat cibos esse amaros, etiā si suauis sint. Hūc ad modū uertigine capitis laborati, terra uidetur circūagi atq; uoluntari, quæ tamē fixa p̄sistit. eius enim morbi talis est opinio. Hæc etiā aduersus Manichæos cōueniunt, & Marcionistas, & recēs ab ijs exortos hæreticos, qui apud non paucos dicuntur Galatæ.

Iacobi 2.

CONFITENTVR se nosse Deum, factis autè negant, execrabiles cum sint, & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobī.] Vides quid faciat immundos & execrabiles? opera praua & sordida. Reuera nanq; fides sine operibus mortua est. Mortuus autem execrabilis est, & ad quiduis reprobus.

C A P V T I I.

T V autem loquere quæ decent sanam doctrinam.] Etiam si inobedientes sint illi ac reprobi, tu tamen quod tui muneris est, facito, ne taceas, etiam si illi non recipiant.

† σωφρονης, id est, sobrius, uigilans, attentus.
† σεμνης, pudici, graues, honesti, foueri.

SENES, ut sint † sobrii.] Quia senij uitium est, ut sit segne & somnolentum, & torpidum, propterea dicit, Sobrii sint, hoc est, excitati, uigiles, prompti.

† PVDICI, prudentes.] Prudentes appellauit σωφρονας, ἠγαθη & σωας ἰχθυ τὰς φηνας, id est, eo quod saluas & incolumes mentes habeant. Sunt enim inter senes etiam qui insaniant, & rabiant, ac dementes sint, alij quidem ex uino, alij uerò ex pusillanimitate.

Anuum institutio.

SANI in fide, dilectione, & patientia.] Patientia grandioribus natu est commodissimum præceptum, quod facillè excandescant, & leui de causa contristentur.

ANVS similiter in habitu sancto.] Anus dicit, quas & ab ipso habitu & ornatu honestas uideri decet. Nonnulli ministras in ecclesia per anus hic intelligunt, quas & ipso etiam uestitu uult sanè ornatas conspici, hoc est, ut sacris congruit ministerijs.

NON calumniatrices, non multo uino seruientes.] Frigida res est senectus, quare uinum desiderat: deinde cum non possit sustinere, ut imbecilla, succumbit & uincitur, non ex moderato uino, sed à multo, ex hoc autem & ad calumnias & criminationes sunt propensiores.

1. Tim. 2.

BENE docentes.] Quomodo igitur alio in loco dicit, Docere mulieri non permitto? Illic de communi in ecclesia doctrina loquitur, quæ mulieribus est prohibita: hic autem de domestica, quæ priuatim fit ad mulieres. Quod autem hæc dicat, audi ex sequentibus.

† σωφρονης, sobrias, moderatas reddant, uel instituant.

V T instituant adolescentulas, ut sint amantes maritorū.] Non simpliciter filias solas, uerum in uniuersum omnes adolescentulas. Quælibet enim natu grandior, iuniorè puellā erudiat, ac primū caput domesticorū bonorū eas doceat, nempe ut sint amantes maritorū. Nam si hoc affuerit, sequetur etiā reliqua, nempe prosperitas domus, facultatūq; copia & abundantia: quemadmodū è diuerso si absit amor maritalis, omnia quæ affuerint, diffuet ac pessum ibunt.

FILIOS suos diligit.] Quæ enim radicem seu patrem diligit, multo magis etiam fructus, siue filios diligit.

† σωφρονας, sobrias, prudentes, pudicas, uel ut sint sobrias, &c.

V T sint † sobriæ, castæ, domus curam habentes, bonæ.] Quæ maritū suum diligit, & sobria erit & casta, hoc est, & corpore & mente pura: nec concupiscet cum alijs misceri. quinetiā bonam domus curam habebit, id est, materfamiliās erit. Diligens enim maritum, domus etiā curam geret, ut uir abundet, neq; ipsa delicijs neq; intempestiuis uoluptatibus indulget. Cui enim alij placere studebit, quæ prorsus ut dilecto placeat incumbit? Considera aut quomodo

Paulus

uenerit filius hominis in gloria sua. Vbi autem sunt qui filij potētiam imminuentes, ne Deum quidem ipsum dicere sustinent? Audiant hīc quod & Deus sit, & magnus. Magnus autem de Deo dicitur, non per comparationē ad alium quendā paruum, sed absolutē, ut qui natura ipse per sese magnus sit. Si autē hostes seruauit, quid nō tum daturus est, si probatos nos inueniat?

QVI dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.] Hoc etiā potētiae eius signū est & argumentū, quod dederit semetipsum, nō quidem ut ab hoc aliquo liberaret, ab alio uerō non item, cæterum ab omni iniquitate. Hanc itaq; reuereamur redemptionem.

† ἀφίστοιον, acceptum, peculiarem, egrēgium, præcipuum.

ET mundaret sibi populum + acceptabilem.] Qualem? liberatum, excellentem, nihil habentem commune cum reliquis.

SECTATOREM bonorum operum.] Hoc est, cum feruore quodam ad uirtutem euntem, zelumq; ostendentem in omnibus bonis operibus, ignitamq; imitationem. Redemptio itaq; ipsius solius est, opera uerō æmulari, etiam nostrarum est partium.

Reprehendenda alia, alia sua denda.

HAEC & loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.] Loquere primū & exhortare, hoc est, cum mansuetudine doce: deinde argue: neq; id simpliciter, sed cum omni imperio, hoc est cum seueritate & autoritate. Sunt igitur quædam quæ non opus habent seueritate, uerūm adhortatione & persuasione, ut omnino pecunias contemnere. sunt autē quæ etiam seueritate opus habeant, ut adulteria, furta, circumuentiones, ueneficia, siue impostura.

NEMO te contemnat.] Nemo adspernetur te, inquit, cum omnia opportunē obstruis & firmas: nam qui importunē obiurgat, magis contemnitur.

CAPVT III.

ADMONERE illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.] Vbiq; fideles Paulus uult obtemperare magistratū. Ponit autem ob oculos quomodo subijciantur, nempe si ad omne opus bonum præparati fuerint: unde uidelicet ē diuerso ad mala instructi, magistratib. minimē parent. Vel ut parati sint quod ad bona obsequantur, non ad impietatem, uel ad animæ noxam.

NEMINEM blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos.] Etiam si quis malè faciat, ne eum blasphema: id est, non conuiciare ei. Oportet enim os nostrum esse purum à conuicio & maledicentia. Siue enim uerax est conuicium, non est nostrum iudicare: siue mendax, uide quantum subsit periculi.

OMNEM ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.] Iudæos & Græcos, sceleratos & iniurios.

† Græcus co-dex habebat ad Galatas: uideatur tamen legendum ad Corinth.

1. Cor. 10.
Luc. 23.

ERAMVS enim aliquando & nos insipientes, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs.] In epistola quidem ad † Corinthios à futuris terret, ut non iudicent, inquiens: Qui se existimat stare, uideat ne cadat. hic uerō à præteritis tēperantiores reddidit, dicens: Ne conuiciemur alijs, ne uē uituperemus eos, quando quidem & ipsi nos olim peius peccauerimus: quod & latro ad alterum latronem dicebat, Quoniam in eadem condemnatione es. Quando autem insipientes eramus? ante Christum natum. Quomodo enim non demētia atq; stultitia erat huiusmodi dijs seruire, & hominibus diuina sacra facere, minisq; loco colere? non ne hic maximus error? Quin etiam cupiditatibus & uarijs uoluptatibus feruebamus. Hic masculas nuptias, & cum matre & cum sorore connubia perpetrata, intellige, aliasq; impuritates. uariē nanq; nobis illufit diabolus.

Malitia.

IN malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.] Malitia, id est, in uindictē cupiditate & inuidia commorantes semper, ac ueluti uitam in ijs habentes, unde & odio digni eramus, ut inuicem nos odio morderemus, idq; non immerito: nam ex inuidia odium nascitur.

† φιλανθρωπία, studium & amor erga homines.

CVM autem benignitas & † humanitas apparuit seruatoris nostri Dei.] Quando incarnatus est uidelicet unigenitus, nobisq; assimilatus.

NON ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam saluos nos fecit.] Saluos nos fecit, non ex operibus quæ fecimus: hoc est, neq; fecimus opera iustitiæ, neq; per hæc conseruati sumus, sed uniuersam salutem bonitas ipsius atq; clementia operata est.

PER lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundē per Iesum Christum seruatorem nostrum.] O rem arduam & mirabilem. Adeo uitijs eramus immerfi, ut nulla ratione purgari possemus, sed opus fuit regeneratione. Nam regeneratio, & renouatio, secundam natiuitatem, nouamq; formationem significant. Ut enim domum ruinosam & planē ueterem non suffulcimus, uerūm ad fundamenta usq; diruimus ac demolimur, nouamq; ædificamus: consimilem ad rationem Deus non reconcinnauit, quod corruptum erat farciendo, sed denuò condidit. Quomodo? Per spiritum sanctum. Ne enim quæras modum, Spiritus, inquit, totum transegit. Vnde hoc perspicuum? quem effudit, inquit, abundē in nos. Non enim tantummodo per hunc refinxit nos, sed largē ipsum etiam nobis imperijt, ut & illud per hoc monstretur. Ac meritò. postquam enim mundauit nos, tum & spiritu suo sancto abundē nos impleuit. hoc est quod ait, Effudit. in impuros enim mundus ille purusq; spiritus non ingrediebatur. Hæc autem per Iesum contigerunt, siquidem ipse est mediator atq; largitor cunctorum bonorum.

VT iustificati gratia ipsius hæredes simus secundū spem uitæ æternæ.] Rursus gratia, non debito dicit. Hoc autē nos humili mente imbutos esse facit. nō enim ipsi aliquid transegimus.

Insuper

A Insuper bene sperare facit nos de futuris bonis. Si enim adeò desperatos & perditos nos per gratiam seruauit, multo magis iustificatis uentura bona largietur. Vt efficiamur, inquit, hæredes æternæ uitæ, perinde ac speramus. Vel quia iam hæredes simus, quatenus ad spem.

FIDELIS sermo.] Quia de futuris loquutus erat, fidem & auctoritatem uerbo suo apponit. planum enim est à præcedentibus, quòd qui talia dedit, futura etiam daturus est.

ET de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.] Quia mentionem fecit bonitatis boni Dei, Volo te, inquit, docere de his, ut discant fideles nò solum modo humiliter sapere, & nò conuiciari alijs, uerum etià misereri aliorum. Qui enim secum reputauerit misericordiã quam à Deo ipse sit assecutus, aliorum etiam miserebitur. Vt curent, inquit, hoc est, ut assiduam dent operã, seduloq; aditatur iniuste oppressis succurrere, uiduis, orphanis, & ut semel dicã, quibusuis indigentibus prospicere. hoc enim indicat bonis operibus præesse: nec expectent tantisper dum egentes ad eos peruenerint, sed ipsi eorum gerant curam.

HÆC sunt bona & utilia hominibus.] Cura & præfectura bonorum operum, uel ipsa etiam bona opera.

STULTAS autem quæstiones, & genealogias, & contentiones & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & uanæ.] Stultas, inutiles uocat, quales Iudæi Christianis afferunt. Genealogias aut, quas iidem cõficiunt, suã ad patriarchas genealogiã referentes, & in maioribus illis gloriantes. Deuita igitur, hoc est, reijce. neq; enim prætermittenda sunt necessaria opera, tempusq; in uaniloquentia inutilibusq; pugnis consumendum. Quæ enim conflictus istiusmodi cõmoditas, ubi nemo ad Christum captiuus ducitur uel perducitur? Quomodo igitur supra dedit in mandatis, ut obstrueret ora contradicentiũ? Si alijs officiant, tunc sunt compescendi. Sine autem ipsorum utilitate, nò est quod uel uerbũ cum illis cõmutes communices ue. neq; enim quicquam fructus ex tua disputatione uel colloquio cum eis referet, ut qui sint incorrigibiles.

HÆRETICVM hominem post unam & alteram correptionem deuita, sciens quòd subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio cõdemnatus.] Quò igitur in loco ait, Forſan dederit eis Deus pœnitentiam? Illic loquitur de ijs qui spem emendationis suæ ostendunt: hic uerò inemendabilem hæreticum dicit, qui & omnino peruersus est, & per sese cõdemnatus est, hoc est qui defendere sese non ualet. Haud enim dicere potest, Nemo me corripuit, nemo docuit. Quando igitur post admonitionem in suo instituto pertinaciãq; permanſerit, suo ipse iudicio se cõdemnauit.

CVM misero ad te Arteman aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolin: ibi enim statui hyemare.] Cuius rei gratia, cũ tot ecclesias & tantam insulã credidisset Tito, rursus ad seipsum retrahit eũ ab opere auellens? Vt plus ei proſit, eumq; magis ad officium suũ & opus perficiat, ipso examinato in ijs quæ ei credita erant. Nicopolis autem Thraciæ urbs est, Istro adiacens.

ZENAM legisperitum, & Apollò sollicitè præmitte, ut nihil eis desit.] Iudaicarum legum peritum sic dicit. talis enim erat Zenas. Apollo autem eloquentior, & potens erat in scripturis. Nondum autem erant illis ecclesiæ commissæ. Quod autem ait, Vt nihil eis desit, intelligendum est ita: Cura ut quibus opus habent, ea subministrantur ipsis, ne quapiam re destituantur, alimento nimirum & uestitu.

DISCANT autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.] Perinde quasi diceret, Potuiffem & aliter iam cõmemoratis ne ulla re indigerent, prospicere, sed nolo, ut nostri, hoc est, qui sunt apud te, discant ex hoc quòd uiatico & necessarijs ad iter rebus hos instruxeris, bonis operibus præesse, hoc est ratione habere indigentium, pecunijs, uerbis, omnibusq; modis, nò tam ut indigetes inde commodũ accipiãt, sed potius ut ipsi fructũ percipiant, ut ipsos etiã fidei humanitatis, qua usi sunt in proximos suos & congeneres. Nã & Dominus qui quinquies mille aluerit, potuiffet omnino & seipsum alere semper ac discipulos, attamẽ à mulierculis uoluit cibũ accipere & pasci, ut illæ lucrũ inde consequeretur. Sic & de nobis, non tantã adfert pauperibus utilitatẽ, per nostrã eleemosynam, quantã nobis per illos. Dimissionis enim peccatorum & fiducia erga Deum, pauperes nobis sunt authores.

SALVTANT te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide.] Vel amantes ipsum fideliter citraq; dolum, uel diligentes ipsum fideles aut Christianos.

GRATIA cum omnibus uobis. Amen.] Exoptat ut eis cõseruetur donum Dei, uel ut humanitas Dei cum ipsis sit semper, per gratiam eos conseruans, quæ & nobiscum sit qui maxime ea indigemus, & custodiat animas nostras & corpora in spiritu sancto, cui gloria in secula seculorum. Amen.

Scripta est ex Nicopoli Macedonia urbe.

THEOPHYLACTI BULGARIE ARCHIEPISCOPI
in diui Pauli apostoli ad Philemonem epistolam
Enarratio.

ARGUMENTVM.

Nequè seruos neq; heros sese accedentes, Christus reijcit. unus est enim Dominus omnium ipse, imò & pater: atq; id cum ex multis alijs, tũ uerò præcipuè ex hac epistola Philemon-
liquet,